Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35480
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

75.

licet in sabbato post mediam quadragesimam agitur. Feria IIII post palmas due lecti
ones leguntur. et ad utramque flectamus genua dicitur. In cena domini et in pa
rasceue. et in sabbato sancto post benedictionem. kyrie et preces. et orationes secundum
ordinem sub silentio est dicendum. In cena domini gloria patri et gloria in ex
celsis reticetur. non nisi chrisma conficitur. dalmaticę tamen portantur. In
quo die sub anathemate interdicitur. ne aliquis quadragesimale ieiunium solua
t. In parasceue officium non ab oratione sed a lectione est incipiendum. Ad
passionem dominus uobiscum non dicitur. et tituli ad lectiones non pronunciantur. Ad
singulas orationes non prius flectamus genua dicitur. et mox leuate subse
quitur. In sabbato sancto cereus magnus a diacono est benedicendus. et ante
benedictionem illuminandus. et in octaua paschę populo distri
buendus ad suffumigandum rebus eorum. Ante baptismum XII lecti
ones secundum ordinem leguntur. sed tituli non pronunciantur. Post bap
tismum possunt presbiteri missam celebrare qui uoluerint. Ad missam offertorium
et communio et agnus dei non cantantur. et ite missa est non dicitur. In pascha
agnus non ad altare sed ad mensam benedicitur. et credo in unum usque in
octauam cantatur. Versus gradualis. Benedictus qui uenit in nomine do
mini deus in feria quinta et lapidem quem reprobauerunt. propter passio
nem Christi in feria sexta est cantandus. In sabbato infra octauam paschę
antiphona. Cum esset sero die ad uesperam cantatur. quia idem euan
gelium olim usque thomas unus eodem sabbato legebatur. Ad uesperam
feriales psalmi cantantur cum alleluia et in dominica nocte et nouem
lectiones et sic singulis diebus nocturnam cum alleluia nisi festum
occurrat nouem lectiones dicimus. et ad laudes cottidie dominus reg
nauit recitamus. A pluribus ab hinc usque post pentecosten
tres psalmi cantantur et tres lectiones leguntur. a maguntiensi con
cilio institutum traditur. sed a romana ecclesia non recipitur. A pas
cha usque pentecosten. in festo trium responsoriorum unum tamen alleluia
ad missam cantamus. in festo uero nouem lectionum duo. unum de fes
to aliud de resurrectione canimus. et non primum secundum repetimus.